

Ergo mirari non sufficit, et venerari,
 Non enarrari, non laudibus æquiparari,
 Quæ sapientia, quæ patientia Cunctipotentis,
 Quæ compassio, quæ dilectio sit miserentis
 Circa peccantes, et criminibus famulantes.

1516 Sed jam signorum vestigia cerno priorum;
 Nam Moyses lator legis sacer, et mediator
 Inter parentum populum, Dominumque jubentem,
 Esis et rebus dum quadraginta diebus
 Abstinet, atque vacat precibus, Dominum bene

(placat

Iratum populo; legem meruitque secundo.
 Exemplo simili pius hic vir mente virili,
 In templo Jesu matris, sine corporis esu,
 Explevit numerum totidem lacrymando dierum,
 Ipsum placatum dum redderet ante negatum
 Propitiantem pia, nec non mediante Maria.
 Talia præstantem, lapsos quoque sponte vocantem,
 Summum laudemus, veneremur, glorificemus,
 Ipsius et matrem, restauravit quia fratrem:
 Quæ lucis fons est, quæ lucis ad atria pons est,
 Quæ sovet afflictos, peccati turbine victos.
 Ipsa levat fessos, vitiorum pondere pressos.
 Hæc desperatis spes, præstat opem bonitatis.
 Porta Dei, portis hæc est contraria mortis,
 Mentis sinceræ precibus quæ sueta patere,
 Per se tendentes, se suppliciterque petentes,
 Cunctos admittit, Dominoque poloque remittit.
 Ad quam pulsamus, oculos et corda levamus;
 Ad quam pulseamus humiles, aditumque rogamus;
 Ad quam clamamus animis, precibus vigilamus;
 Ad quam clamamus, exclusi ne maneamus.
 Hæc nos confortet, ut vult, et sicut oportet.
 Hæc nos letetur, hæc et nostri memoretur,
 Nosque sui memores dei per placitos sibi mores,
 Jugi conatu gaudere suo famulatu.
 Quod det possimus, det quo cum posse velimus.

A Nam cui servimus, hæc si spernente perimus?
 Hanc nos expetimus, cujus præconia scimus,
 Ad quam confugimus, quo non fugisse nequimus.
 Conspicimus siquidem per eam qua frater hic idem
 Clade sit ereptus, meritum super hæc et adeptus.
 Ex hoc gratatur Pater, et bonus ille profatur:
 Jam ritu festo sint annulus et stola præsto,
 Velenturque pedes; vituli pinguis quoque cædes
 Nos convivari, gaudere det, ac epulari.
 Namque tibi, Christo, peccans frater reus iste,
 Vivere desivit, sed jam post funera vivit.
 Ac est inventus, sub perditione retentus.
 Hinc quid dicamus, his cum non sufficimus?
 Sed formidamus, vindictam si taceamus.
 Ergo nunc flantes dulci pro carmine mentes,
 Hoc suspiremus, quod non proferre valeamus.
B Hæc gaudens cecinit præsentis æcer: Ac ubi finit,
 Surgit humi stratus vicedominus, eoque precatos
 Est, ne servetur, sed charta nefanda cremetur.
 Utque cremabatur, laus a populis iteratur,
 Et Kyrie eleison, est missarum quoque Canon
 Ordine perfectus; sacramentisque reffectus
 In virtute Dei vicedominus, per faciei
 Fulsit splendorem, rutilo non sole minorem.
 Cuncti mirantur hæc, et trepidi venerantur.
 Plausibus hymnidicis sic ad templum Genitricis
 Est Christi ductus, post præteritos ubi luctus,
 Corpore jam mutans ægro, tamen illa salutans
 Jugi, devota prece, spe, loca, signaque nota,
 Per triduum durat, nec jam mortalia curat.
 Cumque salutasset fratres, et quod superesset
C Ex rebus, servis Christi, miserieque catervis
 Ut dispersivit, sine fine beatus obivit.
 Quæque prius stratus, sovet hæc loca nunc tam-
 latus,
 Qua collaudatur, qua virtutes operatur,
 Præstans solamen justis precibus Deus. Amen.

CARMINA SEPTEM FRATRUM MACHABÆORUM

(Hoc poema invenitur inter opera Marbodi episcopi Redonensis typis edita Redonis apud Joannem Mace bibliopolam jussu Yvonis Redonensis episcopi an. 1524, cujus exemplar existat in bibliotheca collegii Mazarinæi Parisiis.)

1517 Antiquæ legis jus solvens jussio regis,
 Ad res illicitas dum cogeret Israelitas,
 Septem germani renuentes jussa profani,
 Cum genitrice bona, cui maxima danda corona,
 Virtutis veræ reliquis exempla dedere,
 Ob patrium morem proprium fundendo cruorem,
 Primus tormentis insullans robore mentis
 Provocat Antiochum jaculans hæc epicula vocem:
 Inventor sceleris, quid vos [/.nos] subvertere quæris,
 Vesci porcina cum sit manifesta ruina?
 Verbera sæva pati sumus exiliumque parati,
 Membrane truncari, quam legem prævaricari.
 Mox furor irati linguam jubet ista profati,

D Summaque jure pari manuumque pedumque putari,
 Et cute detracta capitis, nec mente subacta
 In fervente virum frigi sartagine vivum.
 Ille tenendo fidem perdurat in omnibus idem,
 Et moriens digne velut aurum fulget in igne.
 Laudat vexati genitrix certamina nati
 Ad pœnas similes animos natura viriles.
 Spectat tormentum fratrum pia turba sequentum
 Prædicatque mori non succubitura dolori,
 Sicque volens perimi jam vincit et in neco primi.
 Primus abiit mundus, venit ad tormenta secundus,
 Cui veluti primo, postquam fuit omnis ab imo
 Vertice rapta collis, spes est oblata salutis

Si carnis vescam porcinae someret escam.
 Ille negat prorsus vetulos attingere morsus,
 Vultque necem potius, quam vitam criminis hujus.
 Quam propter mentem quam primus habebat ha-

[bentem

Rex jubet interim passum cruciamina primi;
 Pectore sed torti, cum jam caro proxima morti
 In pœnis fleret, ne vel tunc vera sileret
 Corripit insanum tali sermone tyrannum:
 Impie nequidquam rex rem meditaris iniquam
 Perdere tormentis nostræ legaba gentis,
 Nam legis ritus divinitus est stabilitus.
 Nosque per has pœnas sedes lucratur amœnas,
 Quas præcedentes dudum meruere parentes.
 Infera dura feris, sed vitæ spe melioris
 Pœnas crudeloa vincunt patiendo fideles.
 Hic quoque sic factus moritur sine labe reatus.

Tertius accedit, nec ab horum sorte recedit
 Quos moriendo sequi parat spe muneris æqui.
 Ergo manus profert, linguamque patentibus offert,
 Vultque perire magis, quam vivens cedere plagis.
 Hos artus, inquit, quos vita caduca relinquit,
 Do pro lege Dei spe perpetuæ requiesi,
 Reddendo iterum spe tanta iudice rerum.
 Magnanimi juvenis mens nescia cedere pœnis
 Hostibus horrorem, sibi dat victoris honorem,
 Dum bellatores sequitur moriendo priores,

Expouit quartus post hunc cruciatibus artus,
 1518 Incipienteque mori, nec cedens mente dolori;
 Mors, ait, ista brevis carnisque molestia quævis,
 Qua crucias gentem legis mandata sequentem,
 Transitus ad vitam fit perpetuo stabilitam,
 Quæ gemitum nescit, nec tempore victa senescit;
 Qua reparata caro tulgebit lumine claro,
 Ignorans nævum sæclis mansura per ævum.
 Qui modo nos urges, et tu funesta resurges,
 Ut merito sceleris sine fine gemens crucieris.

Hoc sic extincto succedunt verbera quinto,
 Qui licet afflictus veluti non sentiat ictus
 Vultu stans hilari non cessat fortia fari,
 Dum vi sermonis pondus sustentat agonis,
 Auctoremque mali compellat fame tali:
 Cum n. l. u. regis cui paret sanctio legis,
 Et cui servimus dum te mactante perimus,
 Qua nos infestas tibi sic permissa potestas,
 Quod cenaura poli non damnet credere noli,
 Quodve suum cultum sperni patiatur inultum;
 Nam pro se stratos faciet de morte beatos.
 Te velut ingratum perimet prius excruciatum,
 Nec tua posteritas pœnas evadet avitas.

Quintus obit victor. Sexto dat vulnera lictor,
 Visceribus tortis qui stans in limine mortis
 Emittens vocem regem confutat atrocem:
 Erras non leviter, scelerum vesane minister,
 Quod contra cælum vibras ad vulnera telum
 More giganteo justo superante trophæo;
 Nos pro peccatis Domino prohibente patris
 Dum pœnas luimus vitam moriendo subimus,
 At tibi cor durum non est impune futurum,

A Supplicio duplici subiture manus inimici,
 Hoc prius in mundo, barathrique deinde profundo.
 Sexto deluncto stat septimus ordine juncto.
 Junior hic reliquis iussis tamen obstat iniquis.
 Non minus armatus tolerare graves cruciatus,
 Assertorque Dei consors cupit esse trophæi,
 Quem quod adhuc restat regis vox blanda molestat.
 Cum juramentis specialius hunc perhibentis
 Se dilecturum, præclaræque multa daturum,
 Vellet ad insolitum si se transducere ritum;
 Sed scelus horrescens dum sperneret hoc adolescens,
 Sexus victricem vocat ad se rex genitricem,
 Exhortatur uti juvenisque suæque saluti
 Consulat, et natum faciat suadendo bentum
 Ambiguum verbum rapit, irridensque superbum

B Promittit genitrix generosi germinis ultrix
 Nato suasuram se, consiliumque daturam.
 Ergo ter atque quater felix mirandaque mater,
 Plena Dei donis septem redimita coronis
 Victrix, natorum toties in agone suorum
 Præmia cui soli damus omnia, singula proli,
 Respiciens natum certamen inire paratum,
 Taliter hortatur ne pœna brevis timeatur:
 Optima suadentis, fli, cape verba parentis,
 1519 Corpore quæ pleno te gessi mense deceno,
 Cujus vis partus cruciavit corporis artus,
 De cujus mammis suxisti lac tribus annis.
 Suspice, vate, peto, cælum terramque videto,
 Aera conspicio, maris æquora mente subito,
 Sunt opus illa Dei diversæ materiei,
 Singula plena bonis divinæ conditionis:

C Nam polus insignes astrorum continet ignes,
 Terra parit fetus, quos est homo carpere suetus,
 Unda genus nantum species gerit, aura volantum,
 Quæ qui cuncta regit tibi servitura subegit,
 Ut dum membra geris devotus ei famuleris.
 Huic igitur soli subjectus cedere noli,
 Sed ne degeneres fraterni sanguinis hæres;
 Pro Domino, fli, fer pectore flagra virili,
 Fer necis horrorem, totum sibi funde cruorem,
 Ne pars ulla mei careat mercede diei,
 Qua modo qui semus, nova corpora suscipiemus.
 Ne patiar damnum te perdens, vince tyrannum.
 Interea juvenis cujus mens dedita pœnis
 Dudum flagra cupit, sic fundo silentia rupit:
 Quid, rex, expectas, an ut ardua pectora flectas?
 D Lentas rumpe moras, frustra cunctando laboras.
 Legi, non regi, corpus mentemque subegi;
 Ultra quam vellem tardas punire rebellem;
 1520 Vexas cum differs, sed cum punis præmia con-

[fers.

Nam spes quæ restat nobis solatia præstat,
 Parta dolore brevi spes vitæ perpetis ævi.
 Hac spe suffultus nullos formido tumultus;
 Hac ego spe fretus tua provoco verbera lætus;
 Hac etiam tortis tutus peto limina mortis,
 Orans pro reliquis ut non socientur iniquis,
 Uique memor patrum placatus sanguine fratrum
 Jam nostro generi Deus incipiat misereri.

Ta cum tormentis cogat manus omnipotentis
Nota Dei veri magnaalia voce fateri.

Tunc rex delusus solitos se convertit ad usus
Sævitæ, quando nil egit pollicitando,
Quem magis accendit, quo spes frustrata pependit.
Et fervens ira juveni dat verbera dira,
Quem laniare parat, plusquam reliquos laniarat.
Hunc ferro, flammis, scutica, sartagine, lammis,

A Fustibus et loris lacerat vis tota furoris.
Sic torti juvenis cedit caro mortua pœnis.
Spiritus ad lælum festinat currere cœtum.
In grege fraterno rutilans splendore euperno
Munere quo primus medii ditantur et unus.
Addita prostratis genitrix micat ultima natis,
Tanto splendidior, quanto certamine major.

VERSUS DE SANCTO LAURENTIO.

MONITUM.

Ex codice ms. quingentorum circiter annorum olim monasterii S. Amandi in Pabula seu Elnonensi, nunc regio, num. 274. — Licet hoc poema in manuscripto Sancti Mariani Autissiodorensis tribuatur Hildeberto, tamen illud ut opus Marbodi illi assignamus, tum quia in manuscripto Elnonensi-Regio immediate subsequitur *Passionem sancti Victoris*, nominatim et expresse Marbodo tributum, tum quia in editione Redonensi anni 1524 *Operum Marbodi* reperitur. Hujus autem poematis Marbodum auctorem agnoscit Sigebertus, de scriptoribus ecclesiasticis, cap. 158, eumque secuti sunt Trithemius, Possevinus, Vossius, Pithæus et alii.

A Decio tentus, gladioque furente peremptus
Martyribus mistus fulgebat in æthere Sixtus
Cum quo levitæ duo nacti præmia vitæ
Laude Creatoris pensabant damna cruoris,
Cum flets et lætus his gaudia dans sibi fletus
Quærit sorte pari Laurentius ense necari.
Cumque pati properet, dilata pericula mœret,
Et se ceu vinctum gemit a tribus esse relictum,
Non tamen ut victus erat a tribus ille relictus,
Plus quibus urdebat, quos morte præire volebat;
Sed tanquam juvenis velut ætas congrua pœnis
Ut certaturus melius, majorque futurus
Dixerat huic fletu, secumque pati cupienti,
Vox præsaga senis cujus parebat habentis:
Desine te, fili charissime, pendere vili;
Quod modo non pateris, quia post triduum patieris,
Et lucra pœnarum pensabunt damna morarum.
1521 Quid senibus jungi, quid tentas munere fungi
Ætatis fessæ? Juvenis, majora capesse;
Præmia grandævi sperent certamine levi,
Captet proventus pœnas tolerando juventas.
A gladio metas jam debilis impetret ætas;
1 Lentis robustos fornax probat ignibus ustos,
Fortis velle viri non est semel enas feriri,
Et non est fortis consortem quærere 2 mortis.
[3 Turbæ jungatur, si cedere quis meditatur.
Non parat hic dorsum qui vult pugnare seorsum.
4 Bella, fide fortis, gravioris suscipe mortis.]
Ante quidem vado, sed materiam tibi trado
Majoris pœnæ; post pœnam, sedis amœnæ.

B Ecce tuæ curæ consortem non habituram
Tradit in expensum mea delegatio censum.
Quod tibi commendo fac pauperibus tribuendo,
Ut melius nosti, cupido ne serviat hosti.
Largiri propera, ne si dilatio sera
Spargere cunctatur, non sparsis rex potiatur.
Hæc post verba senis, caplus vinctusque catenis
Est præsentatus Decio levita beatus
Vel monstraturus thesauros vel 5 moriturus,
Quem sibi præsentem, sed non sua verba 6 timentem
Nunc terrore gravi Cæsar, nunc ore suavi
Flectere conatur, dum tali voce profatur:
Res damnatorum patuerunt crimina quorum
Esse mei juris cognoscit et incola ruris;
Nam quem sacrilegum damnat sententia legum.
C Et sua jura pari fæco jubet annumerari.
Sic mea prorsus erunt Sixti quæcunque fuerunt,
Quem lex damnavit, gladiusque meus jugulavit.
Cur 7 mea laude caret, quia res mihi publica parat?
Sed quia cum sit ita, non sunt tamen hæc repetita.
Hactenus ignosco 8 non reddita, nunc ea posco.
Si reddis vives, charus mihi munere dives,
Nunc censum totum non est mihi sumere votum,
Pro 9 quasi servatis partem tibi defero gratis,
Si repetita negas, et cognita jura relegas,
Vix est pœna mori. Sub crimine jam graviori
10 Amplior est talis transgressio quam capitalis;
Contemptum regis cumulat deaspectio legis.
Ad facinus duplex non sufficit ultio simplex,
11 Ultra quam vellem cogor punire rebellem.

1 Elnon., *Mentis*. 2 Elnon., *sortis*. 3 Tres hi versus desunt in Elnon. 4 Hic versus deest in Redon. editione. 5 Eln., *periturus*. 6 Elnon., *tremementem*. 7 Eln., *Cur non lite caret*. 8 Eln., *nunc, sed contra sensum*. 9 Eln., *Rebus servati partem tibi confero*. 10 Eln., *Amptius*. 11 Hi quinque versus desunt in edit. Redonensi.